[illegible] velat mori.

HERMICI ORATIO CVM EPISTOLA AD BARTHOLOMEVM BLANCHI/NVM BONONIENSEM.

HERMICVS BARTHOLOMEO BLANCHINO SVO SAL.

Solebam, cũ essem Bononiæ, uel epistolam ad te aliquã: uel epigrãmata plærũq; mittere, simul ut te honestissimo illo dicendi certamine prouocarem: simul ut beneficentiã in me tuã: & in studiosos omnes liberalitatem indicarem posteris. Q uod habebam summũ pretium persoluebam tibi: faciebam, ut ex mortali fieres (quantum in me esset) immortalis. Nunc uero, ne acceptorum tot beneficiorum in spongiam incubuisse memoria uideatur: neue cũ cælo animum quoq; mutasse existimer: Orationem, quam hic nuper habui: dedico tibi Blanchine doctissime: quæ bre/uitate sua illam saltẽ cõsecuta est laudem: ut uel admodũ placeat, uel displiceat non nimis. Q uorum alterum non satiabit: alterum uero non cruciabit. Vale. Et Beroaldum communẽ præceptorem, & Franciam, communẽ amicũ: utrunq; certe insigne istius uestræ ciuitatis decus saluta meis uerbis: saluta etiam Antonium Albergatum acade/miæ ornamentũ. Q uid si Galeax Bentiuolus intellexe/rit ex te: me nũquam fuisse sui oblitum? Sublimi feriam uertice sidera. Vale iterum. Pataui. III. Nonas Nouem/bris. M. D. III.

HERMICI CAIADI LVSITANI ORATIO HABITA PVBLICE PATAVII NONO CALENDAS NOVEMBRIS .M.D.III.

Si quod tempus unquã fuit:quo pronunciationis maie/ ſtatem aliquã:& orationis copiam mihi ab immortali deo dari optauerim:Hodie id certe uſu uenit Magiſtra tus Ampliſſimi:Rector moderãtiſſime:Clariſſimi tã di uini:q̃ humani iuris Interpretes:Voſq; oẽs:qui adeſtis Cõmilitones chariſſimi:Frequẽs.n.conſeſſus hic ueſter: & locus ipſe ad dicendum ornatiſſimus:quo me ami/ corum preces diu:multumq; reluctantem traxerũt:ui/ detur eam eloquentiam poſtulare:quã nec polliceri:nec præſtare poteſt homo peregrinus:in quo uix ullũ Ro/ manæ facundiæ ueſtigium deprendas. Si quid autẽ in me eſt:quod & auribus ueſtris purgatiſſimis:& Illuſtri huic loco conuenire uideatur:Id totum acceptum fero uobis:hoc eſt Italis hominibus:ad quos inſtituendus iã pridẽ miſſus ſum:nihil ſcilicet in conſpectu ueſtro pu/ blice dicturus:ſed magis auditurus uos:uiros in omni ſcientiarum gyro clariſſimos:& eloquentes adeo:ut corã uobis antiquitatẽ facile prouocantibus:eloquentia ipſa plane obmuteſcat. Sed quando eo rerum peruentũ eſt: ut & facilitate ueſtra,& humanitate fretus non dubita/

uerim insignem hũc locum ascenderet uos oratos uelim: ut qua alios soletis modestia: me quoq; audiatis de rebus differentem magnis: nisi quid illis ingenium minus tantę rei accõmodatum/ & stilus tenuis admodum obstreperet. Ius igitur nunquã satis laudatum (ut moris est) conabor primũ pro uirili parte ostẽdere: ciuitatibus idest humani generis societati non solum ornamentũ afferre maximũ: sed adeo necessariũ esse uitæ hominũ: ut sine illo bestiarũ more uiuendũ omnino esset. Deinde ad illud amplecten/dum hortabor uos Cõmilitones studiosissimi dignus ipse potius: quem uos hortaremini: obiter uero Illustrissimos: & sapientissimos Venetos meritis laudibus non defrau/dabimus: quorum sapientiæ & felicitati debemus otium hoc: quo fruimur: & uiros hosce orbis lumina: a qui/bus certissima quotidie iuris oracula petimus. Sed de iu/ris laudibus (si per uos licet) iam dicere incipiamus.

Hominem cõsilio & ratione præstare cæteris animanti/bus: in aliis uero uel superari passim: uel non facile supe/rare: adeo exploratum est oĩbus: ut nulla prorsus sit opus disceptatione. Quod si mihi concedunt somniatores ii: qui solos se philosophos dici uolũt: nobis idest iuris pro/fessoribus scientię nomen inuidentes/ nulli quidem dubiũ erit: Iuris scientiam hac potissimum laude censeri/ ut sine ea nihil in uita ratione/ aut consilio factũ uideatur. Nam

quid ad. R. P. gubernationem pertinet disputare, an sem/
per mundus fuerit, an aliquando desiturus, an semper fu/
turus sit idem? Quid quæso ad bene, beateq; uiuendum:
agere de iis, quæ uel nunquam percipi satis possunt, uel
(si diis placet) percepta animum agitant, mentem uexant
semper ultra quærentem aliquid, quod inuestigare uelis,
assequi non possis? Quam ingenue ille Dii Boni, qui ni/
hil scire sese palam profitebatur, quiq; pertinere ad nos ni
hil dicebat, quod quidem supra nos esset dignissimus pro
fecto: qui solus sapere ab apolline iudicaretur. De mori/
bus igitur disputabat, de ratione uitæ optime instituendę
præcepta dabat: Musas colebat: Eloquentiæ stilum in co
te eruditionis acuebat: Hæc dũtaxat ad hominem spe/
ctare putabat uir summus. Quæ ferme omnia unde hau
rire potes & commodius, & uberius quam a iure? Est. n.
ius (ut a definitione præstantiam eius dignoscamus) ars
boni, & æqui, cuius merito quis nos sacerdotes appellat.
Iuris uero præcepta quis nescit? Præcipit honeste uiuere:
alteꝶ non lædere: ius suum cuiq; tribuere. Quibus præ/
ceptis quid aut necessarium magis, aut salubrius excogi/
tari potuit? Qua segete quid fertilius? Veram igitur nec
fallimur, philosophiam profitemur. At nisi fallor iuris cõ,
sultus addidit, dicet præstigiator aliquis ignarus, sic in re
bus etiam certissimis ad euitandam arrogantiam dici so,

lere. Nec miremini Viri sapientissimi colores hos dicēdi: & orationis honestatē a philosophis nostri temporis ignorari, quippe qui uersentur semper in tenebris barbariæ: nec ullo possint sciētiæ suæ latino Authore gloriari. Omnia â græcis mutuantur, tam nostrę, quam græcæ linguæ ignaros interpretes consulunt. Omnia miseris inuersa, falsa pro ueris, obscura pro claris, adulterina pro legitimis citant, uersant, legunt. Et si qui inter eos (qui pauci sunt) bonis litteris dant operam, libros græcos adeunt, deridentur miris modis, quasi planè necesse sit, barbarų esse eum: qui philosophari uelit. Nobis uero si nihil aliud iuris studium afferret: quam eloquentiam, & latinæ linguæ castitatem, non ne essemus cuiusuis ordinis hominibus anteferendi? Quid quod non nuda uerba solum a iure nobis subministrantur, sed sententiæ præclaræ, rationes adeo ueræ, adeo breui orationis elogio ꝑlatæ, ut dubites a philosopho ne, an ab oratore ꝓficiscantᷣ? Prætereo multa quæ in laudē humanæ huius scientiæ a clarissimis oratoribus in hoc loco dici quotannis solent, nec constitui ciuitates: nec muniri oppida potuisse: nisi lata lege, quem quis locum teneret, quos agros coleret: quibus se mœnibus a latronum iniuriis tueretur. Quæ omnia elegantissimus Poeta luculentissimis his uersibus explicuit.

Virgilius primo ubi eneas cum Chartaginem ap[...] inuenitur edific[...] structuram / sic

Inſtant ardentes tyrii: pars ducere muros:
Moliriq; arcem: & manibus ſubuoluere ſaxa:
Pars optare locum tecto: & concludere ſulco.
Iura: magiſtratuſq; legunt: ſanctumq; ſenatum.
Graphice & illud: moreſq; uiris: & mœnia ponet:

Prius enim moribus: quos iura tradunt: conſtituenda eſt ciuitas: quæ nihil eſt aliud: quam collecta hominũ multitudo ad iure uiuendum: quã urbs ipſa ponatur. Nam ſi hinc: inde confluerent homines ſine lege: ſine præſcripto aliquo iuris: dum quiſq; pro animi libidine res meliores occuparet: nullius dicto pareret: mutuis omnes (quæ humana eſt cupiditas) uulneribus conficerentur: nec ædificarentur mœnia: nec hominum ſocietas eſſet uſquam. Quocirca triũuiri a Romanis mittebantur: qui agros aſſignarent: quocunq; coloniæ deducerentur. Videtis plane: ſine iure ciuitatem eſſe non poſſe. Si uero quæratis Viri Excellentiſſimi: quid ornamenti ius ciuitati afferat: quod dicturos nos polliciti ſumus: uos ĩpſi rectiſſime iudicabitis. Emere: uendere: locare: conducere: obligare quo pacto quis poſſet: niſi ius eſſet: quod præciperet: quemadmodum ea fieri deberent: & quatenus facta ualerent? Diuinæ religionis: humani officii ratio tota iuri debetur: quo ſublato: nemo nuptias

uideret legitimas: non certos quisquam aspiceret libe-
ros: belluinam: non humanam uitam degeremus: quod
certe fieret: si Platonis Philosophi: non Iustiniani nostri
legibus uteremur. Posteaquam de iuris præstantia: &
eius utilitate diximus: ad illud pro uiribus perdiscendum
uos Commilitones optimi deinceps hortabor: si (quod
hactenus fecistis) faciles mihi: & bibulas aures adhibe-
bitis. Et si quæ proxime a nobis dicta sunt: satis superq;
monere uos debent: ut summa ope: & alacri studio iuri
operam detis: ut dies: noctesq; Ius ametis: Ius desideretis:
Ius somnietis: Ius expectetis: de iure cogitetis: Iure uos
oblectetis: cum iure toti sitis: Tamen: ut diuisionis no-
stræ ratio habeatur: pauca quædam in medium addu-
cenda sunt: quæ uos ad cursum incitabunt adeo: ut fre-
no potius: quam calcaribus egere uideamini. Illud impri
mis nō paruam uim habet: quod qui huic scientiæ egre-
gie operam manauerit: amplissimam est laborum suo-
rum mercedem: & præmium consecuturus: patrimo-
nium aucturus: si quod habet: si nullum habet: facturus
non mediocre: Quod citra cuiusquam calamitatem
perficere potest uir bonus. Adde quod muneribus ho-
noratissimis fungitur: Arbiter est: & moderator rerum
humanarum: Huic rei dominium dat: Illi adimit.

Hunc damnat: Illum absoluit. Regibus dat consilium, iusti belli indicendi: Pacis faciendæ rationem, & formulam dictat. Adeoq; late patet uis, ac potestas uiri iuris periti: ut uideamus suspẽsos populos expectare, quod sit eius de rebus suis, & de uita ipa iudicium, quæ de summa rerum sententia. Quid quod amicis ꝓdesse potest? Quid quod calamitosis subuenire? Viduis opitulari? Pupillos tueri? Quid quod. R. P. habenas quo uult flectit? O scientiam totis corporis, animiq; uiribus appetendã. O iucundissimos iucũdissimoꝝ laboꝝ fructus. O rem libero homine, & principe dignissimam. Quo maiores multo a nobis gratiæ Illustrissimis & Fortissimis Venetis agendæ sunt: & si qua unquam dabitur occasio: referendæ, quoꝝ nominis splendore, & liberalitate fit: ut in antiquissimam, & nobilissimam hanc urbem, nõ secus temporibus nostris confluant studiosi uiri, atq; olim Massiliam, Alexandriam, Athenas. Nullus hodie in terris Rex est, nulla. R. P. (placeat sibi quisq; licebit) unde certiora laborum emolumenta ciues sperent: unde grandius salarium & iuris nostri: & cæteraꝝ bonaꝝ artium professoribus expectari fas sit. Præsenti pecunia res agitur sine ulla rerum permutatione. Quid referam quo consilio suam. R. P. gerant? Qua animi magnitudine traditum a maioribus imperium tutentur, & augeant? Qua iuris ęquabilitate inter se uiuãt?

Qua ſe prudentia muniant in negotiis omnibus tam pu
blicis/quam priuatis obeundis? Aut nulla in rebus huma
nis felicitas eſt / aut felices habendi ſunt Veneti/præterea
nulli. De quorum laudibus plura in præſentia differerem/
niſi Luſitanus eſſem uel hoc ſolo ſuſpectus nomine: ne
Venetos plus æquo mirer. Nulli enim nationi tam chari
ſunt Veneti: quã Luſitanis: nulla rurſus natio eſt: quæ Lu
ſitanos honoret magis/ quã Veneti. Adeo ut Religioſiſ/
ſimus / & Fortunatiſſimus Rex noſter: & Inclytus. S. V.
in ſuo quiſq; regno dicere merito poſſint. Tros tyriuſq;
mihi/hoc eſt Venetus & Luſitanus/nullo diſcrimine aget.
Sed ut ad propoſitum reuertamur/uos ſtrenui Commili/
tones etiam atq; etiam moneo/ hortor/ obſecro/út perga/
tis/qua cœpiſtis/ út nülla præterlabatur dies/qüa non du/
catis lineam, memores optimi gymnoſophiſtarum inſtitu
ti/quorum hic mos erat laudatiſſimus/ut poſita menſa, priuſ
quam edulia apponerentur/magiſtri adoleſcentes interro
garent/quod quiſq; bonũ eo die/laudabileq; feciſſet/ cumq;
alii alia ſe feciſſe commemorarent/qui nihil ea die habe/
bat/quod factum a ſe referre poſſet / impranſus foras ad
opus extrudebatur. Oſtendimus/quantum temporis an/
guſtiæ permiſerunt: non ſolum ornamentũ afferre ius ci/
uitati/ſed nullam eſſe poſſe ciuitatem / in qua non habea/
tur ratio iuris / ad quod capeſſendũ uos Socii ſtudioſiſſi/

mi paucis hortati sumus. Nec.n.uos satis uestra sponte ad id propensi pluribus monendi uidebamini. Venetos deinde rerum dominos, ex quibus duos principes uiros Georgium Corneliũ, & Paulum Triuisanũ Equites splendidissimos: huiusq; ciuitatis præsides integerrimos ueneramur imprimis: & colimus, quam breuissime, & commodissime fieri potuit, merita sumus laude prosecuti. Superest Magistratus Iustissimi: Florentissimæ huiusce Academiæ Rector Humanissime: Clarissimi Præceptores, Condiscipuli Optimi, Superest inquam, ut quę ab aliis in agẽdis gratiis dici solent: a me etiam dicta putetis, quod non tam mea interest, quam uestra. Vestra, ne diu sedendo & audiendo lassi sitis. Mea, ne si deuinctum uobis animum, & obseruantiam: quam debeo, pro magnitudine uestrorũ erga me meritorũ, nõ ad unguem explicauero, aut parum officiosus esse: aut apprime ingratus existimer. DIXI.

Impressit Venetiis Bernardinus Vitalis Venetus
.XII.Cal.Iunii.M.D.IIII.

IN DETRACTOREM.

Barbariem egregie defendit barbarus acri
 Præditus ingenio: præditus eloquio.
Naturæ proprium est similes producere fœtus:
 Ni mirum/si Asini me faciant asinum.